Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

52

ut de singulis quis possit scire rationem. Et Petrus. Quis est qui assiduus sit erga doctrinam et studiose singula queque perquirat, nisi qui animam suam diligit ad salutem et omnibus renuntiat huius mundi negociis ut soli uerbo dei uacet? Quem solum prudentem iudicat uerus propheta uendentem omnia que sua sunt et ementem unam ueram margaritam, intelligentem que sit differentia temporalibus ad eterna. Intelligit enim que sit eterna spes apud unum uerum et bonum deum. Quis est autem qui diligat deum nisi qui sapientiam eius agnouit? Quomodo autem quis potest agnoscere sapientiam dei, nisi assiduus fuerit ad audiendum uerbum eius? Ex quo accidit ut amorem eius concipiat et digno eum honore ueneretur, ymnis et orationibus ad eum fusis et in his libentissime requiescens, summumque detrimentum reputans si quando aliquid aliud uel ad momentum temporis loquatur aut agat. Quia reuera non potest anima que dei amore repleta est aliud aliquid intueri nisi quod ad deum pertinet, nec satiari potest pro amore eius ea que ipsi scit placita esse meditando. Hii uero qui affectum eius minime conceperunt nec illuminatam caritate eius gerunt mentem, uelut in tenebris positi lucem uidere non possunt. Et ideo etiam priusquam incipiant requirere de deo uero, quasi labore oppressi statim deficiunt ac tedio repleti continuo propria consuetudine rapiuntur ad ea uerba quibus delectantur. Nam de deo audire aliquid talibus tediosum est et molestum, pro eo ut dixi quia mens eorum nullam dulcedinem diuine caritatis accepit.

Hec Petro dicente exortus est dies. Et ecce ueniens quidam ex discipulis Symonis clamabat dicens. Obsecro te Petre, me miserum a Simone mago deceptum. Cui ego uelud celesti deo intendebam pro his que ab eo fieri mirabilibus uidebam. Auditis tamen sermonibus tuis cepit mihi homo uideri equidem malus. Uerumtamen cum hinc exiret ego eum subsecutus sum solus. Nondum enim ad liquidum impietates eius agnoueram. Cum autem uidisset me subsequentem, beatum me dicens perduxit ad domum suam. Circa medium uero noctis ait ad